

• S • G • B • T • B •

• 1 • 6 • 6 • 1 •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



63
COLLEGII TERTII
In Augustanam Confessionem

DISPUTATIO XXX.

continens

ΑΝΤΙΘΕΣΙΝ ΑΡΤΙCΥΛΙ VII.

De Ecclesia,

Et in specie de questionibus :

1. An Evangelium Primatum Petri inter Apostolos probet,
2. An Cæteri Apostoli in Petro Primatum agnoverint,
3. An Petrus ipse ejusmodi Primatum unquam exercuerit.

Proposita

In Electorali Academia VVittebergensi,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI S.S. Th.

Doct. & Profess. Publ. Primario, Facult. Theol.

Seniore, ac Templi Arcis Præposito,

R E S P O N D E N T E

MICHAELE KUSCHIO

Wistenbr. Sil.

In Auditorio Collegii Veteris

Ad diem 16. Januarij.

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typogr. AMBROSII ROTHII, Acad. Typogr.

ANNO M DC XXXI.

COLLECTII TERTII
In Augustiniani Confessionem

DISERTISSIMO

CONTRARIO

ANTHONIO ARICCI VII

De Ecclesia

In hoc tractatu
de Ecclesia
et eius potestate
et iurisdictione
et de eiusdem
iurisdictione
et de eiusdem
iurisdictione

JACOBO MARTINI S. Th.

MICHAELIS

Anno M DC XLII





D. O. M. A.

Continuatio.

HActenus ergo contra strophas & sophismata Becani defendimus, Ecclesiam Apostolis omnibus fuisse æquè à Christo commendatam. Sequitur nunc, ut videamus, æquè verum & certum esse, quod Evangelium reprobet Primatum inter Apostolos; quod ceteri Apostoli in Petro Primatum non agnoverint; & Petrus ipse Primatum nunquam exercuerit.

T H E S I S I.

Evangelium reprobare primatum inter Apostolos probavit Maucus Antonius (testrante *Becano lib. 2. de Republ. cap. 7. §. 27.* ex contentione Apostolorum de primatu, & responsione Christi. *Nam cum Apostoli contenderent, quinam illorum esset major; Respondit Christus Luc. 22. v. 25. Reges gentium dominantur eorum, & qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor. Hinc ita concludit Antonius: Omnes Apostoli, etiam Petrus contendebant de primatu: ac si Petro erat promissus primatus, cur contendit? secundo, Christo omnibus eripit cogitationem de primatu temporali, cum ait: Vos autem non sic. Similiter de primatu & jurisdictione spirituali, cum ait: Qui major est in vobis, fiat sicut minor.*

A 2

II. Be-

II. Bēcanus in interpretatione hujus dicti, collata cum aliis alibi à Marco Antonio positis verbis, triplicem conatur ostendere contradictionem: quæ verò nihil ad nos Tandem §. 30. sic respondet: *Objectio tua, quam à Lutheranis accepisti, nullius momenti est; etiam pridem à Cardinale Bellarmino & aliis Catholicis refutata. Ad illos te remitto. Obiter tamen attingam, quid respondendum sit. Apostoli cogitabant de primatu aliquo temporali, quem apud Christum essent habituri. Hoc supra cap. 6. prerogativa septima ostensum est. Et tu paulò ante fassus es. Christus eripit illis hanc cogitationem his verbis: Vos autem non sic. Et simul suo exemplo hortatur, ut quisquis inter ipsos habiturus esset primatum Ecclesiasticum, servaret modestiam ac humilitatem; nec se superbe efferreret super alios. Qui, inquit, major est in vobis, fiat sicut minor. Similem monitionem habemus de primatu Regis in V. T. Deut. 17. 18. postquam sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus in volumine. Et paulo post: Nec eleuetur cor ejus in superbiam super fratres suos. Sicut ergo hinc non possumus inferre, Regem Veteris Testamenti non habuisse juris dictionem in suos fratres, quia debebat servare modestiam, & non elevare se super fratres suos, quod solent facere Reges gentiles: Ita in simili, non possumus inferre, Petrum non habuisse jurisdictionem Ecclesiasticam in suos fratres, quia debebat illis servire & ministrare. Alioqui quid dicemus de Christo? Habuit certè plenissimam jurisdictionem in Apostolos & tamen ministrabat illis. (Ego autem in medio vestrum sum sicut qui ministrat.) Cum ergo suo exemplo hortatur Prælatos Ecclesie ad simile ministerium, non tollit ab illis jurisdictionem, sed humilitatem commendat.*

III. Primum negamus Lutheranorum argumentum, ex hoc loco petitum, à Bellarmino esse solidè refutatum: Aliud enim est, aliquid topicè & probabiliter ad argumentum respondere: aliud verò, solidè refutare: illud quidem fecit Jesuita, hoc verò minimè.

IV. Deinde quod primum attingit cogitationes discipulorum Christi, possumus concedere, illas fuisse de dominio temporali, quem somniabant cum vulgo etiam discipuli Do-

li Domini : Verum hinc non quaestio est de cogitationibus Discipulorum, ut neq; de petitione Matris filiorum Zebedaei, sed de scopo responsionis Christi : quae planior habetur *Matth. 20. v. 25*. Dicitur vero ibi & quidem in proximè praecedentibus verbis, ex petitione duorum discipulorum, Jacobi & Joannis, per subordinatam matrem Domino proposita, natam esse invidiam, indignationem & marmurillum reliquorum adversus illos : quod & ipsi pestifero hoc ambitionis malo essent affecti : ut mundanas sperarent glorias de regno Christi, quod communi & recepto errore terrenum futurum esse existimabant : proindeq; salvatorem discipulos simul omnes ad se vocantem à perversa illa cupiditate dominandi, avocasse, usum duobus argumentis quorum prius à distinctione officiorum petit, alterum à proprio sui ipsius exemplo.

V. Primum argumentum extat apud *Matth.* loco allegato his verbis : *Scitis, quod Principes gentium dominantur illis, & qui magni sunt, potestatem exercent in eos, Non ita erit inter vos : sed quicumq; voluerit inter vos magnus fieri, sit vester minister : Et qui voluerit inter vos primus esse, sit vester minister.* Opponit ergo Christus ministerium Apostolis commissum, & regna hujus seculi, indicans, ut meminisse velint Discipuli longam aliam esse rationem ministerii ipsis commissi, quam regnorum hujus mundi : In his quidem sint Reges, sint Principes, qui pro jure dominatus, sibi concessio, dominantur subditis : ab ipsorum vero functione dominatus debeat esse alienissimus : *Non enim sic erit inter vos*, inquit, ut alter alteri sese praeferat, eiq; dominetur aut imperet : sed contrarium potius inter ipsos & in functione Apostolica fieri debeat, ut qui voluerit inter ipsos magnus fieri, sit minister : & qui voluerit esse primus sit servus : hoc est, quo quisq; est major ratione honorum ; eo magis noverit se adstrictum aliorum commodo & utilitati. Ut ita manifestum sit, quod diximus, Christum in sua responsione, distinguere inter Regnum mundanum & ministerium Ecclesiasticum, docereq; illa, ut diversissima officia, non esse confundenda. 2. In illo quidem dari Reges, Principes, Monarchas,

& dominium in alios: A ministerio vtrò, Apostolis commisso, ejusmodi præminentiam, dominatumq; in alios, alienissimum esse debere. *Non ita erit inter vos*, inquit Christus; proindeq; dicere vult, non ita erit in meo Regno Ecclesiastico, in illo non erit ejusmodi dominium, ut unus sit Princeps & Dominus reliquorum: id enim proprium est Regni mundi, non Regni mei Ecclesiastici.

VI. Falsissimus igitur est Becani commentarius in verba Lucæ, nempe *continere illa hortationem, ut, qui inter ipsos habiturus esset primatum Ecclesiasticum, servaret modestiam & humilitatem, nec se superbè efferret super alios*. Quandoquidem in verbis Christi nulla planè fit mentio primatus Ecclesiastici, sed tantum primatus Regni secularis: Et ut hunc concedit & affirmat Christus; sic illum planè rejicit, negat & damnat. Quod autem rejicit, quod negat, quod non esse dicit, quomodo in illo modestiam & humilitatem suadere poterit? cum non entis neq; qualitates neq; affectiones sint: Non ergo interpretationem ex suo cerebro & scopo desumere debuisset Jesuita, sed ex ipsius Christi verbis: qui se satis explicat allegato loco Matth. Ibi tantum abest, ut fiat mentio primatus futuri inter Apostolos: ut ille planè (sicut modo diximus) negetur his claris & perspicuis verbis: *Non ita erit inter vos*: quid non ita erit inter vos Apostolos? hoc indicat, quando suis verbis hunc sensum exprimit: primatus quidem est in regimine politico & seculari: inter vos autem non sic, cum in regimine Ecclesiastico, vobis commisso, similis primatus non sit: Proindeque nullus inter vos, similem jurisdictionis & dominationis potestatem sibi arroget.

VII. Et quod bene notandum, eadem hæc lis antea ad minimum bis agitata est, videatur, *Matth. 18. 20. 25.* sed semper Christus eam severissimè damnavit, & sic manifestissimum fecit, se dominium aliorum in alios in sua Ecclesia nec instituisse nec tolerare voluisse. Alioqui aliquando tandem toties de eadem re agendo dixisset: *jam antea constitui Petrum, Regem totius orbis terrarum, habentem utrumq; gladium super totum mundum,*

dum, & gestantem triplicem coronam, omnibus aliis etiam Monarchis & Regibus terra obtrudentem pedes suos beatissimos ad exosculationum &c. Quid ergo litigatis amplius? Et perfectio etiam Petrus non neglexisset proferre litigantibus aliis de regno suam hanc, non Constantini pallam, sed ipsius Christi donationem & privilegium etiam si ipse Dominus ejus oblitus fuisset. Qui in tanta luce videre non vult, claudat oculos & cæcus cæcos duces sequatur, ut in æternum exicium, benedicente sanctissimo Præsidente pseudo Petro, corruat.

VIII. Porro: verba illa: *Qui major est, in vobis, fiat sicut minor*: ita Matth. 20. v. 26. exponuntur: *Non ita erit inter vos: sed quicumque voluerit inter vos magnus fieri, sit vester minister, & (v. 27.) qui voluerit inter vos primus esse, sit vester servus.* Quibus verbis an similia sint illa, quæ de primatu regio Deut. 17. v. 18. leguntur, judicet, qui judicare potest, nec planè omniratione destitutus est. Expressa in Deuteronomio fit mentio *majestatis Regiæ, postquam sederit in solio regni sui*: hic verò non tantum nullo verbo majestas aliqua vel monarchia inter Apostolos indigitatur: sed potius expresse negatur: *non ita erit inter vos.* Si ergo verba hæc Christi deberent respondere verbis Deuteronomii, de primatu Regis in V. T. loquentibus, tum necessum esset, hunc in se continerent sensum: *Postquam sederit Petrus Monarcha in solio regni sui Ecclesiastici, non eleuetur cor ejus in superbiam super fratres suos.* Verum de monarchia & solio regio Petri hic altum silentium.

IX. Quare hæc comperatio nulla est, quando sic infert Becanus: *Sicut ergo hinc non possumus inferre Regem, Veteris Testamenti non habuisse jurisdictionem in suos fratres, quia debebat servare modestiam & non elevare se super fratres suos, quod solent facere Reges gentiles. Ita in simili non possumus inferre, Petrum non habuisse jurisdictionem Ecclesiasticam in suos fratres, quia debebat illis servire & ministrare.* Hæc, inquam, comperatio & illatio nulla est, absurda est, ἀλογος est.

X. Nam primum indictio Deuteronomii, *majestas regiæ, imo Rex ipse*, disertis verbis exprimitur & legitur: in verbis
Chri-

Christi, ut monuimus, non tantum non exprimitur, sed planè negatur. Deinde de rege Veteris Testamenti non dicitur, quod *debeat subditis servire & ministrare*; ut hic de primo & magno Apostolo dicitur: sed quod *non debeat in superbiam elevari super fratres suos*, hoc est, tyrannicè sua regia maiestate abuti. Verum Rex & Monarcha, qui non more & crudelitate tyrannorum regit suos subditos, non statim fit minister & servus suorum subditorum. Facit ergo Becanus sophisticè synonyma illa verba; quæ diversissimas habent significationes & potestates.

XI. Quod urget ultimò exemplum Christi: Diximus, ab illo desumptum esse secundum Servatoris argumentum: quo disputat à majori ad minus: Quod licet esset conditor cæli & terræ, & Deus super omnia benedictus in secula, *Rom. 9.* non tamen *in primo suo adventu venit, ut sibi ministraretur, sed ut ipse ministraret*: proindeq; non dedignatus est, servi forma suscepta, ministrare nobis in peccatis nostris: ut ipsemet *Esa. 43.* profitetur, legi quoq; Dei se servum constituere, cui ipse erat Dominus, & non solū Patri cælesti obedire ad mortem usq; crucis, *Phil. 2.* sed nobis quoq; suis servis, imo hostibus & inimicis, ministrare ad æternam salutem.

XII. Si ergo, vult dicere Christus, ego Rex Regum, & Dominus Dominantium, in primo meo adventu, in quo Ecclesiam illam, quam vos discipuli mei sic continuare & propagare debetis, ut ego inchoavi, veni ut abjectissimus servus, & nullum in hoc mundo affectavi vel potestatem vel maiestatem vel jurisdictionem: Hoc ubiq; exemplum meum debet vobis discipulis & speculum & argumentum esse efficacissimum persuadendæ humilitatis & tollendarum elatarum cogitationum de primatu & jurisdictione inter vos exercenda. Ut ita (quicquid etiam sine ratione & planè *αλόγως* organiat Jesuita) Christus universis ac singulis derogat primatum potestatis in Ecclesia, quando eos, qui reliquis donis antecellunt, jubet esse cæterorum ministros: cujus præcepti memor ipse Petrus. *1. Epist. cap. 5.* cunctos Presbyteros, atque
Episco-

Episcopus hortatur, ut non dominantur clero, sed sint exemplaria gregis.

XIII. Sequitur nunc tertia nostra objectio: qua ostenditur, ipsos Apostolos in Petro non agnovisse primatum. Apostoli enim (inquit Marcus Antonius allegante Becano § 31.) postquam Petro dictum esset, Tu es Petrus, & tibi dabo claves regni caelorum, adhuc contendeabant de primatu: Ergo non agnoverant, Petro per illa verba promissum esse primatum, alioqui desissent contendere.

XIV. Respondet Becanus: Apostoli ex una parte persuasi erant, regnum Christi fore temporale: ex altera audiverunt Christum moriturum, & Petrum ipsius loco habiturum claves regni caelestis, id est, primatum Ecclesiasticum. Sed prior cogitatio erat magis ipsis infixata, quam posterior. Imo nec Petrus nec alij Apostoli credebant, Christum moriturum, tamen si clarissime hoc ipsis esset significatum. Matth. 16. 21. Exinde cepit Jesus ostendere Discipulis suis, quia oporteret eum ire Hierosolimam, & multa pati à senioribus, & Scribis, & Principibus Sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Et assumens eum Petrus, cepit increpare illum dicens: Absit à te Domine: Non erit tibi hoc. Et Luc. 9. 44. Filius hominis, futurum est, ut tradatur in manus hominum: At illi ignorabant verbum istud, & erat velatum ante eos. Certè, si vel non credebant, vel non intelligebant, Christum esse moriturum, quod tam clarè ipsis dicebatur; quid mirum est, si non multum solliciti fuerint de futuro Petri primatu post mortem Christi? praesertim cum altera cogitatio de regno Christi temporali praevaleret. §. 32. Si hoc non capis, Marce Antoni, exemplum sume à te ipso, promissio tibi facta erat in statu religioso, cum abdicabas te rebus temporalibus: omnis, qui reliquerit domum; vel fratres, aut sorores, aut Patrem, aut matrem, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam aeternam possidebit. Quae sanè promissio erat clarissima. Et tamen, magis insedit tibi cogitatio de Episcopatu: ideoque, relicto statu religioso, & parum sollicitus de tam insigni promissione, ad seculum, cui renunciaveras, rediisti, & dignitatem Episcopalem importunè impetrafti. Non tam crasse ballucinati sunt Apostoli. Nunc quæro, an hæc consequen-

B

tiæ

tia bona fit? Marcus Antonius, postquam dictum est illi, centuplum accipies & vitam aeternam possidebis, adhuc cogitavit de honore & dignitate Episcopali: Ergo non agnovit promissionem à Deo sibi factam. At similis est haec, quam tu facis: Apostoli, postquam dictum est Petro, tibi dabo claves, adhuc cogitabant de regno temporali: Ergo non agnoverunt promissionem Petro factam de primatu spirituali.

XV. Quod attinet primam responsionem de duplici persuasione Apostolorum, si ita, ut fingit Jesuita. Etsi verò Apostoli ceteri non multum solliciti fuerint de Petri primatu post mortem Christi (quomodo enim potuerunt, cum nullus futurus neq; ullus promissus esset?) nihilominus quærebant aliquam præminentiam in regno Christi, quod sibi imaginabantur, ut manifestum est ex petitione matris filiorum Zebedæi, & contentione in ultima cœna inter discipulos orta. Quare etiam si nihil de primatu intellexerint post mortem Christi in Ecclesia: intellexisset tamen Petro præ omnibus aliis præminentiam in regno Christi, quod futurum sibi imaginabantur & sperabant, promissam esse; proindeq; non amplius quoq; de illa solliciti fuissent. Vel si ceteri illam non intellexissent, omnino Petrus ex verbis illis Domini percepisset & cognovisset: qui ceteros postea hortatus fuisset, ut ab ejusmodi inanibus disputationibus, quæstionibus & contentionibus abstinerent: eum sibi præminentia illa & primatus à Domino dudum promissus esset. Et certè nullum est dubium, quin in ea disceptatione Apostolorum, ubi hæc de primatu quæstio expresso agitabatur, sententiam suam fuisset interpositurus Dominus, & clarè definiturus, quod illa prærogativa, ad Petrum spectaret. Hoc vero tantum abest, ut fecerit Christus, ut perspicuis & disertis verbis primatum potestatis & jurisdictionis in Ecclesia universis ac singulis derogaverit, ut satis demonstratum.

XVI. Altera responsio, inneptissima & falsissima est. *Matth. 19. v. 29.* nihil agitur de statu religioso Papistico: de quo neq; Christus neq; Apostoli quicquam sciebant, vel intelligebant;

bant: cum sit purum putum commentum & figmentum humanum, neq; à Christo neq; ab Apostolis institutum, neq; in scripturis fundatum: tantum ergo abest, ut illud Christus se centuplo compensaturum promittat, ut plane abominetur & damnet, *Matth. 15. v. 6. 29.*

XVII. Sciendum ergo, quod allegato loco Matthæi Dominus, postquam suorum mentes sursum extulerat ad spem futuræ vitæ, solatiis etiam præsentibus eos sustentare & confirmare voluerit ad ferendam crucem, proindeq; non tantum Apostolos vel personas Ecclesiasticas (quod bene notetur) alloquitur, sed sumta occasione generaliter ad pios omnes, cujuscunq; etiam sint vel status vel conditionis, sermonem dirigit: & ad omnes illos dicit, ipsisq; promittit, si spontè omnia perdididerint ob Christi causam, fore tamen, etiam in hac vita feliciores, quam si integri steterint; præcipuâ verò mercedem illis in cælo esse depositam. Suos enim Deus etiam in hac vita in medijs calamitatibus, exilijs & persecutionibus exhilarat, ut illis pluris sit, longeq; suavius, tantillum bonum, quo in miseria sua, exilijs & persecutionibus fruuntur, quam si extra Christum illis afflueret immensa bonorum copia.

XVIII. Quo sensu etiam addita est hæc vox apud Marc. cap. 10. v. 30. *cum persecutionibus.* Ac si dixisset Christus; quamvis pios semper in hac vita persecutiones maneant, & quasi eorum tergo crux adhereat, tam dulce tamen esse condimentum gratiæ Dei, quo ipsos exhilarat, ut illorum conditio regum delitijs optabilior sit. Non tantum enim non sunt destituendi cognatorum subsidio & cōsolatione: sed & multo plures in regno meo sunt adepturi, quam antea habuerint, ac multo etiam fideliores: tot enim fratres, tot sorores, tot parentes, tot liberos, tot cognatos & amicos invenient, quot fidei suæ consortes. Sunt enim nostri parentes, sorores, fratres, patres & matres, qui audiunt verbum Domini & custodiunt, ut *Matth. cap. 12. v. 46.* dicit Christus.

XIX. Quare relinquere aliquid propter nomen Christi sive propter Christum, non est statum religiosum Papist-

cum assumere, sed Christum præponere omnibus, & super omnia, etiam illum ipsum statum, aware, ita cum esse charum pectori nostro, ut illius gratia parati simus, non quidem ire in cœnobium, vel fieri Jesuitam, sed omnia relinquere, quantumvis chara, quæ nos alliciunt & inducunt aut etiam cogunt, ut aliquid faciamus, quod sit contra ejus gloriam: qualia multa occurrunt in ordinibus illis monasticis & papisticis.

XX. Concedimus igitur libenter, promissionem Christi esse clarissimam, proindeq; nequaquam permittere, ut extendatur ad status religiosos, papistis dictos. Quandoquidem clarissimum est, omnia esse relinquenda, at non propter status illos & cerebri humani figmenta, sed propter nomen Christi. Verum nomen Christi & status illi tantum distant, quantum cœlum beatorum & infernus.

XXI. Sed inquis, religiosulos Papistas, eo ipso, quando ingrediuntur cœnobium, & certis se associant ordinibus, & sic statum aliquem religiosum assumunt, relinquere omnia propter nomen Christi. Hoc verò falsissimum esse dicimus. Nam status illi religiosi papistici superstitionum, humanarum traditionum, & Idolomania sunt pleni, imo toti ex illis compositi, ideoq; in illis Christus non secundum veritatem, & voluntatem Dei colitur, sed sunt illi ipsi, de quibus Christus dixit, Matth. 15. vers. 8. 9. : *Appropinquat mihi populus iste ore suo & labiis me honorat: cor autem eorum procul est à me: sed frustra me colunt, docentes doctrinas, præcepta hominum.* Et rursus v. 13. *omnis plantatio, quam non plantavit pater meus celestis, eradicabitur: Omitte illos, duces sunt cæci cæcorum.*

XXII. Quæ cum ita sint clara & manifesta, in illa Christi promissione simul ac in statu illo religioso papistico, recte Marcus Antonius intellexit & quidem melius, quam ipse Becanus: nempe vidit, quod promissio Christi nihil omnino loquatur de religioso suo statu; percepit, illum esse contra Dei ordinationem, neq; vero cultu & honore in eo Deum affici & celebrari sed potius idolomania offendi, contemni; & ignominia affici; proindeq; ipsum deserere voluit: quod
autem

autem veritatem orthodoxam, quam in nostris Ecclesiis ex sacris literis docemus, non apprehendit, id postmodum in constantiam ansam præbuisse nullum dubium est.

XXIII. Quæ cum sint certissima; per se corruit similis de Antonio excogitata argumentatio. De Apostolis autem repetimus, quod antea responsum est. Ponamus, postquam dictum est Petro, *tibi dabo claves*, adhuc cogitasse illos de regno temporali; ac propterea non agnovisse promissionem Petro factam de primatu spirituali: quod solliciti tamen fuerint de primatu, qualiscunque tandem ille futurus esset. Etiam si igitur nihil de primatu Ecclesiastico ex Christi verbis intellexissent; illa tamen de primatu, quem sibi imaginabantur, interpretati fuissent, illumq; Petro assignatum esse existimassent: neq; verò quicquam horum ab ipsis factum est: & Christus sine exceptione omnem primatum potestatis inter illos, simpliciter negavit: Quod certe nō fecisset, neq; facere potuisset, si aliquis futurus fuisset.

XXIV. Quarta obiectio Marci Antonij est: *Quia Petrus nunquam exercuit primatum*, idq; (allegante Becano §. 33.) tripliciter probat: primo, quia non solus Petrus, sed alii etiam Apostoli instituerunt primos Diaconos, Act. 6. v. 2. secundo: quia Apostoli miserunt Petrum & Johannem in Samariam. Ergo Petrus non erat supra Apostolos, sed ad illorum arbitrium mittebatur, Act. 8. v. 14. Tertio quia Paulus & Barnabas detulerunt questionem, de circumcissione non ad solum Petrum, sed ad omnes Apostolos ac seniores. Debuissent autem ad solum Petrum de ferre, si ille fuisset supremus Rector Ecclesie & iudex controversiarum.

XXV. Respondet primum Becanus in genere. §. 34. *hec omnia desumfisti ex Lutheranis & Calvinistis, sed cur dissimulas alia multa, quæ Petrus gessit in suo primatu? Solus sua autoritate convocavit omnes Discipulos ad electionem novi Apostoli. Primus promulgavit Evangelium Hierosolymæ. Primus item predicavit gentibus Evangelium. Primus sententiam dixit in concilio Hierosolymitano. Hac omnia omittis. Quæ autem obiicis, nullius ponderis sunt. Ad singula sic respondeo.*

XXVI. Repetimus, non quæstionem volvi, qui argu-
mentis illis ante Marcum Antonium usi sint, sed an aliquis
Jesuita solidè ad illa responderit, quod negamus, etiam de
ipso Becano, ut eventus docebit. Deinde si vel maximè o-
mnia illa, quæ Jesuita de Petro narrat, ita sese haberent; ex
nullo tamen seorsim, vel etiam omnibus conjunctim sumtis,
probari posset, *Petrum Monarcham esse, & jurisdictionem habere
in ceteros Apostolos.* Nulla enim est consequentia: Titium il-
lam habere auctoritatem apud suos collegas, ut illos convo-
care possit: Ergo Titius habet jurisdictionem in suos colle-
gas. Profecto si Titii collega sunt, licet illos convocet; nul-
lam tamen jurisdictionem in illos habet, cum collega juris-
dictio in collegam nulla sit. Deinde negavimus disputatio-
ne 28. Thef. 31. Petrum sua auctoritate convocasse Apostolos:
*quippe qui perdurabant concorditer in oratione & deprecatione
cum uxoribus & Maria matre Jesu & cum ipsius fratribus Act. 1. v.
14.* Videatur disputatio 28. Thef. 31. & 32.

XXVII. Sic alterum factum Petri si maxime ita esset,
ut a Becano dicitur, nihil probaret. Quæ enim est consequen-
tia: Petrus primus promulgavit Evangelium Hierosolymis:
Ergo est Monarcha? certe nulla est. Diximus supra Disputa-
tione allegata, inde sequi Petrum primum fuisse Doctorem
inter Judæos, sive Hierosolymis: non verò Monarcham. Nam
Doctor primus Ecclesiæ & Monarcha multum differunt. Si
ita in fingendis consequentiis ineptire liceret, inferrem ego,
quicumque in aliquo loco primum docuit, illum istius loci Mo-
narcham esse. Et sane si prima illa institutio esset causa Mo-
narchiæ; tum Papa Romanus non est Monarcha. Papa enim
non potest primus esse, qui Evangelium promulgavit. Istud
enim non nisi semel fieri potuit.

XXVIII. Sed non opus est hic diu hære, cum falsa
sit relatio Becani. Evangelium enim non primum die Pente-
costes Hierosolymis à Petro est promulgatum, cum Christus
ultra triennium, antequam pateretur, illud Hierosolymis in
Judæa & Galilea prædicasset: & neq; illa Petri præclara con-
cio,

icio, quæ extat Act. 2. prima fuerit, quæ ab Apostolis post ascensionem Domini habita est. Apostoli enim omnes cum omnium admiratione locuti sunt publicè, quæ Spiritus Sanctus illis dabat eloqui, priusquam Petrus illam orationem haberet, Act. 2. v. 4. *Repleti sunt omnes Spiritu Sancto, ceperuntq; loqui aliis linguis, prout Spiritus Sanctus dabat eloqui*: neq; dubium est, quin Apostoli, cum ea loquerentur, quæ Spiritus Sanctus illis dabat eloqui, Evangelium Jesu Christi prædicarint. Dicunt enim auditores peregrini ibidem. v. 11. *se audire illos suis linguis eloquentes magnalia Dei.*

XXIX. Sic tertium quoq; nihil probat: nulla enim est consequentia, *Petrus primus prædicavit gentibus Evangelium: Ergo est Monarcha, & habet jurisdictionem in cæteros Apostolos.* Absurdum sanè, ex actu ministerii colligere principatum: perinde est, ac si ita argumentarer: Titius prius aggressus est hostem: Ergo fuit Imperator exercitus.

XXX. Et ultimum exemplum nihil probat, nulla enim & hæc est consequentia. *Petrus primus sententiam dixit in concilio Hierosolymitano: Ergo est Monarcha & habet jurisdictionem in Apostolos.* Nulla est inquam. Non enim quicumq; primus in concilio loquitur, neque, cujus sententiam cæteri sequuntur, statim Monarcha est. Nam qui primus loquitur, potest esse vel præses; vel qui primus sententiam rogatur; vel qui primum locum occupat. Sic quando in alicujus sententiam reliqui eunt, fit non tantum, quia ille Monarcha est: sed etiam, quia est vir magnus vel magna autoritate præditus; vel quia alius verum dicere videtur, cæteri in ejus sententiam eunt; Exemplo sit Paphnutius, qui in Concilio Niceno contrariam sententiam de matrimonio sacerdotum suavit, & omnes Episcopi in ejus ierunt sententiam: neq; tamen Paphnutius Monarcha fuit. Quid? quòd etiam falsum sit, Petrum in illo concilio omnium primum locutum fuisse vel sententiam dixisse: post multam locutus est disputationem, ut id pluribus declaravimus & demonstravimus supra Disputatione 28. Thef. 23. Hæc perpendat Jesuita & haud dubie, cur hæc Marcus Antonius dissimulaverit, quærere desinet.

XXXI.

XXXI. Nunc percipiemus & expendemus, quæ ad-
singula argumenta Jesuita teorim respondeat. Pergit ergo
Becanus, ad primum argumentum §. 35. sic scribens. *At pri-
mum non valet hæc consequentia. Omnes Apostoli instituerunt primos
Diaconos, & non solus Petrus. Ergo Petrus non habebat primatum.
Sicut neq; hæc: Omnes Principes Anglia sanxerunt legem de jura-
mento fidelitatis, & non solus Rex: Ergo Rex non habet Primatum.
Neq; item hæc: Omnes Episcopi Dalmatiæ fecerunt, hunc aut illum
Actum jurisdictionis Ecclesiasticæ, & non solus Marcus Antonius:
Ergo Marcus Antonius non fuit primas Dalmatiæ. Non enim necesse
est, solum Regem in suo regno; solum Imperatorem in suo imperio;
solum Archiepiscopum in sua provincia exercere quosuis actus juris-
dictionis & potestatis, sine aliorum ope & auxilio. Multo minus va-
let hæc consequentia: Petrus in illo actu, quo constituebantur primi
Diaconi, non exercuit Primatum Ecclesiasticum: Ergo nunquam
exercuit. Et tamen mirifice tibi places in his & similibus tuis ar-
gutiis. Quanquam non argutia, sed stupiditates sunt.* XXX

XXXII. Respondemus omnino valere consequen-
tiam. Nam negare non potest Becanus, quippe affirmat in-
stitueri Diaconos esse actum jurisdictionis Ecclesiasticæ, quæ
si datur, dependeat, necesse est, à majestate Monarchiæ, quam
singunt Pontificii, & Jesuitæ contra omnem scripturam & ra-
tionem defendunt Petro à Christo datam esse. Stante autem
hac hypothesi, quæritur nõ sine evidenti ratione & causa: Si
institueri Diaconos est jurisdictionis Ecclesiasticæ, an nõ illi,
qui instituerunt æqualiter Diaconos primos, habuerunt æqua-
lem jurisdictionem Ecclesiasticam? Affirmandum id esse pu-
tavit Antonius & nos affirmamus cum ipso. Nam inter pri-
mos, quatenus primos, non est ordo, hoc est, non est primus
& secundus, atq; sic non dependentia unius ab altero. Si ergo
concedit Becanus Antonio, primos Diaconos esse ab omnibus
Apostolis institutos, uti concedere cogitur, nisi notoriam
veritatem negare & sibi contradicere velit, necesse est, conce-
dat etiam & fateatur, eandem omnes Apostolos habuisse Ec-
clesiasticam jurisdictionem, quam habuit Petrus. Ratio est
mani-

IXXX

manifesta: alias non æque cum Petro primos Diaconos constitutare potuissent: sed secundos vel tertios, &c.

XXXIII. Et rationem hanc certissimam esse ex abundantia ita probamus, quod pontificii in æternum demonstrare non possint, constitutos esse Diaconos à cæteris Apostolis auctoritate & potestate accepta à Petro: certum contra & hoc est, in Monarchia omnem majestatem, omnem potestatem derivari ab uno capite in subordinatos Magistratus. Quare, necessum est, ut pontificii vel probent hierarchiæ Ecclesiasticæ, quam fingunt, majestatem sive potestatem constituendi Diaconos & quidem primos, derivatam fuisse à Petro, tanquã capite & Monarcha in cæteros Apostolos; aut fateantur, Antonium rectè argumentatum fuisse.

XXXIV. Illud autem præstare non possunt: Deus enim voluit, ut Apostoli Ecclesiam pari jure & auctoritate gubernarent, *Matth. 28. v. 19. profecti ergo docete omnes gentes. Marc. 16. v. 15. profecti in mundum universum, predicare Evangelium omni creatura.* Deinde Apostoli non uno semper in loco congregati, neq; unius alicujus, tanquam Monarchæ, gubernationi, sed pari jure & communi consilio Ecclesias instituerunt & rexerunt, *Marci. 16. v. 20. Illi vero egressi predicaverunt ubique Deo una operante, & sermonem confirmante, per signa subsequencia. Gal 2. v. 9. cum cognovissent (inquit Apost. Paulus) gratiam mihi datam, Jacobus, Cephas, & Johannes, qui existimantur esse columna, dextras dederunt mihi & Barnabæ Societatis, ut nos inter gentes, ipsi verò inter circumcisos, Apostolatu fungerentur.*

XXXV. Sane nihil hic à Petro mendatur: nihil Paulo præcipitur, sed una cum Jacobo & Johanne dedit Petrus Paulo & Barnabæ dextras societatis: & communi consilio, nulla jurisdictione Ecclesiastica inter ipsos decretum est, ut Paulus cum Barnaba inter gentes; Petrus verò, Jacobus & Johannes inter circumcisos Apostolatu fungerentur, hoc est, prædicarent Evangelium, constituerent Diaconos, & sic Ecclesiam Christi edificarent & amplificarent: ut autem nihil ratione Apostolatus Petrus Paulo, sic neq; quicquam Johanne
C & Ja-

& Jacobo præscribit : Imò nec in minimo quidem in hac transactione Petrus cæteris prælatus est.

XXXVI. Imo in præcedente disputatione Theſ. 69. demonstravimus, Paulum profectum esse Hierosolymam, cum jam multas nationes convertisset ad Evangelium, tantasque res gessisset, quantas cæterorum nemo, & sic neque Petrus gesserat, Pamphyliam, Lycaoniam, Cilicam gentem, omnes, qui illam orbis partem habitant, ad rectam vitam instituisse, Christoq; lucrificasset, inter quas certum est, & Presbyteros & Diaconos, & quidem in illis regnis & nationibus, omnium primos, constituisse & ordinasse. Quæritur autem, quâ autoritate, an proprii sui Apostolatus, an verò dependente à Petro? Sane hoc in æternū non demonstrabunt Pontificii: Quippe qui à Petro nihil acceperat: quiq; illum nunquam viderat, nunquam audiverat, nunquam etiam illius auxilium vel autoritatem, vel potestatem imploraverat.

XXXVII. Uti etiam non profectus est tandem ad Petrum, ut aliquid ab eo acciperet, ut idem Chrysostomus testatur, (videatur præcedens disputatio) aut ab ipso institueretur, aut Ecclesiasticam potestatem, autoritatem, aut singulare aliquod privilegium nancisceretur: sed tantum ipsum videnti gratia: quandoquidem, ut docet Chrysostomus in 2. ad Gal *nihil opus habebat Petro, nec illius egebat voce, sed honore par erat illi. Quare ad eum profectus est, non ut disceret aliquid ab illo, neq; correctionem aliquā acciperet, sed tantum ut videret eum & sua præsentia honoraret.* Imo ibidem dicit Chrysostomus, *sicuti nunc multi fratrum nostrorum ad viros sanctos proficiscuntur, eodem effectu tunc Paulus ad Petrum profectus est.* Ergo (concludimus nos) non profectus est ad Petrum, tanquam ad Monarcham; à quo potestatem exercendi jurisdictionem Ecclesiasticam, sicq; Diaconos constituendi, acciperet.

XXXVIII. Ambrosius quidem dicit: *dignum fuit, ut cuperet videre Petrum, quia Primus erat inter Apostolos, cui salvator delegaverat curam Ecclesiasticam.* sed hoc nos non lædit, neq; juvat adversarium. Habuit suam autoritatem Petrus, fuit caput,

put, quoad vel ordinem, vel senioratum. Sed non statim tali autoritate valens, Monarcha est, vel in alios jurisdictionem habet. Sed audiamus, quæ præterea addat Ambrosius: *Paulum ivisse, non ut aliquid disceret, qui jam ab autore dedicerat, à quo Petrus fuerat instructus, sed propter affectum* (nota bene non primatus sed) *Apostolatus, ut sciret Petrus* (arrige aures Jesuita) **HANC ILLI DATAM LICENTIAM, quam & ipse, acceperat. Venit ergò ad illum UT UNANIMIS COAPOSTOLUS.** Quid disertius, quid clarius dici potest contra nugas Pontificiorum? Venit Paulus ad Petrum non propter Monarchiam & jurisdictionem, quam ipsi nugis suis Jesuitæ tribuunt, sed propter Apostolatus affectum. Deinde non venit ut subditus, & qui à Petro aliquod privilegium Ecclesiasticum peteret, sed ut unanimis coapostolus. Venit ergo 1. quia modestus erat & Petrum honorabat 2. quia volebat Petrum scire, sibi Apostolatum inter gentes datum esse, 3. volebat etiam PseudoApostolos scire, se reliquorum Apostolorum unanimem coapostolum esse.

XXXIX. Constat ergo, cæteros Apostolos, & cum primis Paulum quoque, parem habuisse cum Petro honorem, dignitatem ac potestatem. Hoc in suo argumento Marcus Antonius supposuit: ut vis argumenti in eo consistat: Quicumque autoritate sui Apostolatus à Christo accepta, & non dependente ab ullo homine, proindeque nec à Petro, constituerunt primos Diaconos, illi habuerunt æqualem in Ecclesia potestatem cum Petro, & per consequens illorum Petrus non fuit Monarcha: Atqui omnes Apostoli, & cum primis quoque Paulus, autoritate sui Apostolatus, à Christo accepta, nec dependente ab ullo homine, & sic nec à Petro, constituerunt primos Diaconos: Ergo omnes Apostoli, & cum primis quoque Paulus, æqualem cum Petro habuerunt in Ecclesia potestatem: & per consequens, cæterorum Apostolorum Petrus non fuit Monarcha. Major est certa. Nam constituere Diaconos in Ecclesiis, pertinere ad potestatem & jurisdictionem Ecclesiasticam non negat Becanus. Minor hæctenus satis est probata: Ergo conclusio certissima.

XL. Ad simile à Rege & Principibus Angliæ sumtum: respondemus, id dissimilimum esse. Aliud enim est, sancire legem, adhibitis in consilium proceribus Regni, & legi dare Majestatem, & ex illa postmodum majestate exequi illa, quæ in lege sancita sunt. Quando lex sancienda est, in consilium adhiberi possunt quidem regni proceres: Verum addere, majestatem legi, & deinde exequi illa, quæ lege continentur, majestatica autoritate; illa omnia derivantur à Rege. Jam accommodetur constitutio Diaconorum facta ab Apostolis: certe illa non fuit deliberatio de lege aliqua, in Monarchia Ecclesiastica, condenda & promulgenda: sed erat exercitium majestatis monarchicæ & jurisdictionis Ecclesiasticæ juxta somnia Jesuitarum: Quæ ergo si concedatur, necesse est, ut ejusmodi exercitium ab illa dependeat, totamq; suam vim & potestatem, autoritatemq; habeat.

XLI. Quare Becanum nihil juvare potest, quando subjicit: *Non necesse est solum Regem in suo regno, solum Imperatorem in suo Imperio, solum Archiepiscopum in sua provincia, exercere quosvis actus Jurisdictionis, sine aliorum ope & auxilio.* Quando quidem non in questione est, neq; etiam hoc urget Antonius, necessum esse, ut Rex, Imperator &c. omnes suæ jurisdictionis actus ipse, & sic immediate exercent: sufficit tamen quod exercent, licet ope aliorum & sic mediate. Eo ipso enim ad ipsum, Imperatorem vel regem, illud exercitium refertur: Nempe quod ejus fiat nomine, ejus autoritate & Majestatica potestate. *Quod enim quis facit per alium, per se ipsum facere videtur & perhibetur.* Probare jam incumbit Becano, ita à cæteris Apostolis Diaconos constitutos esse, nempe nomine, autoritate, & Majestate Monarchica Petri, Quod in æternum non præstabit: contrarium hæctenus à nobis est demonstratum & evidenter evictum: & tacite concedit hoc ipso in loco Jesuita, quando Antonio largitur, primos Diaconos non à Petro, mediantibus cæteris Apostolis, sed ab ipsis constitutos esse & sic quoque primatus Ecclesiastici actum exercuisse.

XLII. Quod addit Jesuita. *Multo minus valet consequentia: Petrus in illo actu, quo constituebantur primi Diaconi, non exercuit*

*exercuit primatum Ecclesiasticum: Ergo nunquam exercuit, ineptis-
simum est. Primum enim non ita est argumentatus Antonius,
Sed vis ipsius argumenti hæc est: Cujus autoritate, nomine,
potestate &c. Primi Diaconi non sunt constituti, ille non est
Monarcha; neq; habet jurisdictionem Ecclesiasticam in illos,
qui primos Diaconos constituerunt: Atqui Petri autoritate
nomine, potestate &c. primi Diaconi non sunt constituti: Er-
go Petrus non est Monarcha neq; habet jurisdictionem Ec-
clesiasticam in alios, qui primos Diaconos constituerunt, hoc
est, in cæteros Apostolos. Sunt ne hæc, stupiditates Jesuita?
Non sane, sed est argumentum satis solidum: quod refutare
non potes;*

*XLIII. Stupiditas vero Jesuitica est, quod defende-
re velit Becanus; Petrum obtinuisse primatum Ecclesiasticum
& simul concedat, sine limitatione, Petrum non exercuisse al-
liquos actus illius primatus, sed exercuisse illos cæteros Apo-
stolos. Aut enim intelligit, Petrū plane nō exercuisse; quando
illū exercuerūt alii: atque tum negat, solū Petrū habuisse pri-
matum: aut intelligit, Petrum non exercuisse immediate, sed
mediantibus aliis Apostolis. Cur autem, si hoc velit, non lo-
quitur, ut intelligamus, & demonstret: Quod primi Diaconi
non à cæteris Apostolis, sed à solo Petro fuerint constituti.
Verum quomodo hoc demonstrabit, cum negaverit? Et perse-
ac manifesto falsum est, quod in Apostolatū suo peregerunt
cæteri Apostoli, illud peregerisse nomine, autoritate & concess-
sione Petri.*

*XLIV. Videamus nunc, quid Becanus respondeat ad
secundam rationem Marci Antonii. Ad secundum (inquit
§. 36.) Triplex potest esse missio; Prima ex imperio. Sic Rex aut
Princeps, aut Dominus mittit subditum aut servum. Secunda ex
consensu. Sic Deus Pater mittit filium in hunc mundum; & filius
Spiritus Sanctum: Tertia, ex consilio & directione. Sic consiliarij
mittunt Regem ad bellum. Igitur Petrus missus est, non ex impe-
rio, sed ex consensu & consilio Apostolorum. Ex qua missione non
sequitur, Petrum vel equalem vel inferiorem Apostolis fuisse. Nam
superior potest hoc modo mitti ab inferioribus.*

XLV. Respondemus: Petrum non esse missum ex imperio, sed ex consensu & consilio Apostolorum, libenter concedimus. Quia enim nemo illorum cupiebat alijs dominari, utiq; simul atq; occasio daretur Evangelii propagandi, vel ultrò quisq; ibat, vel aliorum consilio aliqui mittebantur, idq; absq; ulla cujusquam prerogativæ suspitione: Atqui ita omnino Apostoli *Act. 8. v. 14.* mittunt Petrum & Johannem in Samariam, ut eos confirmet in ijs, quæ à Philippo didicerant. Quo verò primatus Petri plane subvertitur. Sic enim argumentor: Quicumq; communi & collegiali autoritate ab Apostolis mittitur ad prædicandum Evangelium, ille non habet primatum super illos Apostolos: Atqui Petrus communi & collegiali autoritate ab Apostolis mittitur, ad prædicandum Evangelium: Ergò Petrus non habet primatum super illos Apostolos.

XLVI. Major probatur. Nam legatus, qui ex aliquo collegio mittitur, non est superior illis, à quibus mittitur: sed vel est inferior, vel illis æqualis. Nam omnis missio fit, aut ex imperio, ubi semper missus mittente est inferior, ut quando Dominus mittit subditum: herus servum &c. aut ex consensu: ubi missus mittenti esse potest æqualis: ut quando Filius Dei mittitur à Patre cui est *ὁμοούσιος*: aut ex communi & collegiali autoritate; ubi quidem missus minor toto collegio: æqualis autem esse potest cuivis membro & personæ, collegium constituenti: Sic autoritate collegii Apostolici hæc missi sunt Petrus & Johannes. Quod autem ultimam hanc missionem omittat Becanus & substituatur missionem consilio & directione: ubi missus possit esse mittente superior, ut quando consiliiarii mittunt regem ad bellum; inaudita stultitia est. Quis enim unquam dixit, quis unquã audivit, consiliiarios misisse Regem ad bellum: vel, quod idem est, Regem de consilio consiliiariorum ad bellum euntem, esse legatum consiliiariorum. Consulunt quidem Regi & suadent, ut se ad bella accingat, mittere autem nequaquam possunt: nisi forsan eadem stulta ratione ac modo dicere & concedere velis, consiliiarios,
cum

cum consulunt, mittere regem ad exequendam justitiam.
Vanissima nugæ! & tamen in istis mirificè sibi placet Je-
suita.

XLVII. Sequitur tertia ratio, de qua Becanus S. 37.
Ad 3. Hec illatio, inquit, nulla est: Quæstio de circumcissione non
fuit delata ad solum Petrum, sed ad concilium Apostolorum & Se-
niorum: Ergo Petrus non habebat primatum Ecclesiæ, An non pluri-
ma controversiæ civiles deferantur ad parlamentū Parisiense? an non
plurima ad Senatum regium in Anglia? Nec ideo sequitur, Regem
Galliæ aut Angliæ non habere Primatum in suo regno. Audi, Antoni,
quod res est. Sicut in regno Angliæ possunt controversiæ civiles de-
ferri, vel ad solum Regem, vel ad Senatum Regis præsentem Rege: Sic
etiam in Ecclesiâ possunt controversiæ Ecclesiasticae deferri, vel ad ipsū
Pontificem vel ad concilium, cui præest Pontifex. Sicut ergo non
destruitur autoritas concilii, per hoc præcise, quod aliqua controver-
sia deferatur ad solum Pontificem, ita vicissim non destruitur autori-
tas Pontificis per hoc, quod aliqua controversia deferatur ad consi-
lium, cui præest Pontifex, & non ad solum Pontificem. Res clara
est. Sed cur illa controversia de circumcissione potius fuit delata ad
concilium, quam ad solum Petrum? Facilis responsio: Ut decisio
fieret cum majori partium satisfactione. Nam partes litigantes fa-
cilius acquiescunt, quando constat controversiam ex communi Eccle-
siæ consensu decisam esse.

XLVIII. Marcus Antonius ita vult argumentari: Il-
le primatum habuit super Ecclesiâ, ad quem, tanquam ad
judicem controversiarum, Paulus ac Barnabas quæstionem
de circumcissione detulerunt: Atqui ad Petrum, tanquam ad
judicem controversiarum, Paulus ac Barnabas quæstionem de
circumcissione non detulerunt: Ergo Petrus non habuit pri-
matum super Ecclesiâ. Major probatur: Quia judicare il-
lam controversiam, fuit exercitium primatus Ecclesia-
stici.

XLIX. Tacite negat Becanus majorem adducta in-
stantia desumpta à Parlamento Parisiensi in Gallia, & Senatu
Regio in Anglia. Sed maxima est diversitas in exemplis. In
Regno

Regno Angliæ multæ controversiæ, salvo Regis primatu, possunt referri ad Senatum regium: sic multæ in regno Galliæ, salva Regis majestate, ad Parlamentum: quia tribunalia illa in Gallia & Angliâ à Regibus suis sunt constituta, omniaque judicia fiunt & sententiæ feruntur nomine & autoritate Regia: proindeq; pro judiciis sententiisque ipsorum regum habentur.

L. Jam fiat applicatio; Sophisticè illa instituitur à Beccano: quippe qui in locum Petri & concilii Apostolorum & sociorum, de quibus argumentum Antonii loquitur, substituit Pontificem Romanum & concilium, cui præest Pontifex: de quibus nihil omnino in argumento Antonii. Pontificem, quidem Romanum cum sua injusta jurisdictione Ecclesiastica, ut & concilia, ab ipsius autoritate pendentia, cum Regibus illis & ipsorum tribunalibus conferri posse, extra controversiam est: sed quæritur, an cum Petrus sese habuerit ad concilium Apostolorum, ut hodie se habet Papa Romanus ad sua concilia, hoc est, an ita præfuerit isti concilio Petrus, ut Pontifex suis præest: nempe in quibus nihil decidi potest ac debet, nisi fiat autoritate Papæ: Proindeq; sive Papa immediate decidat controversias, sive illud faciant ista Papæ concilia, Papa tamen id facere dicitur.

LI. Id profecto de præsentī casu verum non est. Nullo enim indicio probari potest, quod in illo concilio Apostolorum Petrus fuerit caput habens jurisdictionem in Apostolos & Seniores, inibi coactos, ita ut relatum ad illud concilium, perinde fuerit, ac si ad Petrum, utpote Monarcham in illo concilio, relatum esset. Hoc ergo negatur ab Antonio, quod ad Petrum, ut summum judicem, illa controversia fuerit relata, ut refertur ad Pontificem Romanum controversia, sive referatur ad ipsum solum, sive ad concilium, cui præest Pontifex. Nam utroque modo ad ipsum referri dicitur. Hoc, inquam, negatur. Sive enim conjungatur cum concilio Petrus, sive ab illo segregetur, demonstrari neutro modo potest, in hac controversia Petrum exercuisse actum Primatus proprium, ut illum dicto modo exercet Pontifex Romanus:

LII. Fi-

LII. Finem, quem adfert Becanus, ob quem quaestio de circumcissione non fuerit relata ad solum Petrum, sed ad totum Concilium, nempe *ut decisio fieret cum maiore partium satisfactio*; non tollit id, quod urget Antonius. Quandoquidem nequaquam sunt opposita: factum id esse cum maiore partium satisfactio: & factum esse, quod Petrus nullum primatum habuerit: simul ergo stare possunt, & nihil respondet Jesuita.

LIII. Taceo, quod ratio, à Becano addita, nihil probet, sed sit contra principia aliàs Jesuitica, quã dicit: *Nam partes litigantes facilius ac quiescunt, quando constat, controversiam ex communi consensu Ecclesie decisam esse.* Certe Jesuita contra suam conscientiam, quam alias præferebat, hoc scripsi. Quandoquidem hæc secta elevat Papam supra omnia concilia, & nulli canoni, in conciliis facto, auctoritatem tribuit, nisi sit approbatus & confirmatus à Papa. Cur enim nondum pro canonica veritate habetur in papatu, & ita obtrudere rudi plebeculæ nondum possunt Jesuitæ, *Mariam matrem Domini sine peccatis conceptam esse?* Sanè nullam aliam ob causam, quàm quod Jesuitica illa opinio approbatione Pontificis, licet sæpius quaesita & petita sit, nondum confirmata est: Hanc ergo Pontificis approbationem si obtinere possent Jesuitæ, credas mihi lector, nihil curarent vel communem vel privatam Ecclesie totius consensionem vel dissensionem. Si ad huc dubitas, lege *τοῦ βασιλέως* sive legationem Philippi III. & IV. Regum Hispaniarum ad Paulum P. P. V. & Gregorium XV. de definienda controversia immaculate conceptionis B. Virginis Mariae; & testaberis, me veritatem scripsisse.

LIV. Tandem intactam relinquere non possumus, quod Antonius proprie loquendo non triplici uratur argumento, sed uno: quod postea remotione partium Primat9 probat. Argumentum est ejusmodi: Qui Apostolus nullum unquam actum primatus & jurisdictionis exercuit; ille nullum à Christo accepit primatum vel jurisdictionem: Atqui Petrus, Apostolus à Christo constitutus, nullum unquam primatus

D

vel

vel jurisdictionis actum exereuit : Ergo Petrus, Apostolus à Christo constitutus, nullum ab ipso accepit primatum vel jurisdictionem.

L V. Major est per se manifesta. Minorem probat Antonius. Si enim aliquem primatus vel jurisdictionis actum exercuisset, utiq; primos Diaconos instituisset. Hoc enim ad demonstrandam & confirmandam suam jurisdictionem maximè fecisset, si boni initij ergo primos Diaconos ordinasset: Debuisset quoq; mittere Apostolos: debuisset moras controversias ad suum revocare tribunal. Quandoquidem hi sunt actus primatus proprij: ut docent hodiè Jesuitæ; & hinc esse dicunt, quod Papa vult esse judex omniū controversiarū, quod potestatem instituendi Episcopos sibi arrogat: quodq; Phariseos suos ad externos Indos ablegat. Verum nihil horum fecit Petrus, ut hætenus demonstratum.

L V I. Nihil respondit Becanus, quam quod ad hæc alios recensuit actus: quos verò ostendimus nullum primatum probare. Etsi vel maximè probarent: actus vero in argumento Antonii annotati, à cæteris Apostolis essent exerciti; sequeretur non tantum Petrum, sed cæteros Apostolos omnes, una cum Petro, primatum in Ecclesia obtinuisse: Cum æquè actus primatus proprios, atq; Petrus exercuisset.

FF I. N. I. SS

COLLEGIUM
In Augustiniani Collegio

CONFERENTIA
ANNO DOMINI MDCCLXXII

De Ecclesia

De Primatu Petri quod sit de
fide et in rebus hinc inde

in Electoralibus Vindoburgensibus
A. R. E. S. V. D. S.

JACOBO MARTINI S. J. B.

Doct. & Prof. in Publico Facult. theol.

M. JOHANNIS SOLLERII

de Theologiae Liberae Facult.
in Vindobona

Et Officina Typographica
Anno MDCCLXXII



99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092




SB

Repro

VD 77







Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

63

TERTII Confessionem

o XXX.

ns

RICVLI VII.

lesia,

estionibus:

inter Apostolos prober,
imatum agnoverint,
um unquam exercuerit.

a

a VVittebergensi,

I D E

TINI S.S. Th.

nario, Facult. Theol.

Arcis Præposito,

ENTE

KUSCHIO

r. Sil.

legii Veteris

anuarij.

ER G Æ,

IR OTHI, Acad. Typogr.

C XXXI.

